

§. 1. Quemadmodum Physicus tenetur ex officio & rei necessitate agere primò omnium de causis corporis naturalis in genere; Ita distincta causarum genera, cum locum habeant, non nisi in corpore naturali, hæc jure merito nunc explicanda plenius sunt. Qibus gemina habet non tantum quoad natu-ram & constitutionem Physicæ atq; causas corporis naturalis in genere, hactenus à nobis explicatas; verum etiam quoad harum divisionem Dn. Sagittarius P. olim P. Jenensis, quando ita scribit: Physica est scientia corporum naturalium, quatenus natu-ralia. Dividitur in Somatologiam Generalem & Specialem. Cujus divisionis fundamentum ex hoc fonte deduco: Physicæ subjectum est corpus naturale. Jam verò corpus naturale co-gnoscendum tūm secundum communem rationem, quatenus genus quoddam est latissimè patens, tūm etiam secundum pro-prias singularum specierum rationes. Hinc duæ hujus scien-tiæ constitutæ partes: una, quæ corpus naturale secun-dum communem rationem; altera quæ sub speciali ratione explicat. Prima & Generalis pars agit de corpore naturali in genere, & primò de ejus principiis, secundò de ejus affectioni-bus. Principia sunt causæ, quarum vi quælibet res naturalis producitur. Suntq; duplia, Extrinseca & intrinseca. Ex-trinseca sunt, quæ rei essentiam non ingrediuntur, ut Efficiens & Finis. Efficiens omnium rerum physicarum, vel est primum, vel secundum. Primum est solus DEUS. Secundum est na-tura, illa nempe, quæ alias, naturata appellatur. Finis vel est universalis vel particularis. Intrinseca principia sunt, quæ es-sentiam corporis naturalis constituunt, ut Materia & For-ma.

§. 2. Est autem ipsa divisio hæc neutiquam Generis in suas species; sicut enim causa non est verum genus, ita nec spe-cies hic dantur univocæ, sed quasi species; Fundamentum ve-rò suum habet in diversitate influxus. Quædam enim causæ, velut essentiales partes corpus naturale constituunt, quædam extrinsecus ad illud concurrunt: Illæ intra, hæc extra illud sunt. Omnes causæ effectum producunt, Efficiens & Finis, ut Scaliger loquitur, extra essentiam manendo: Materia & Forma;